

Martinus Fridericus Friess ... Pro-cancellarius, L. S. [An invitation to attend a dissertation by J.D. Schmoller] / [Martin Friedrich Friess].

Contributors

Friess, Martin Friedrich, 1632-1700.
Universität Leipzig (1409-1953)

Publication/Creation

[Lipsiae] : [C. Michaelis], [1680]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/vvefgs9h>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.




Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

MARTINUS FRIDERICUS *Friesz*
Phil. & Med. D. Facult. Medicæ Senior,
& Prof. Publ. ac p. t.


PRO-CANCELLARIUS.

L. S.

MARTINUS FRIDERICUS
1711 & 1712
1713
PRO CANCELLARIIS



DEO Fortunante!



Vanquam Medicinæ, Medicorumq̄ve dignitas à Mortalibus nonnullis insuper habetur; Maxima tamen Artis prædictæ est necessitas, nec minor Medicorum autoritas: Illius necessitatem quod concernit, evincit eandem summa in hâc vita utilitas; cùm enim homines multis infirmitatibus sese obnoxios animadvertent, ea inquirere præsidia, per quæ reconvalere, aut sani persistere possent; è quibus simul Medicorum elucet autoritas, sive nim adversa emendent, sive prospera moderentur, ubi-ve quasi *Semideos* sese ostendant, ita quidem, ut ab Illorum arbitrio (si *Plinium* allegare fas est) fata hominum dependere videantur. Et hanc ob rationem ab ipso *Hippocrate*, lib. de dec. ornat. Medicus vocatur *ἰατρός*, quod tamen certo respectu ad se-ere, nobis piaculo ducimus. Rectius multò summus ille *Scaliger* appellat istos, Sanitatis & Vitæ Magistros, his lib. 3. de R. P. verbis: *quod aramus, quod ædificamus, ea omnia ad Vitæ finem diriguntur, cujus Magister est Medicus.* Et *Panarolus* de utro- Pentec. 1. obs. 33. ve ita differit: *Quis nescit Medicum ad omnes totius Civitatis ordines, ad omnem sexum, ad omnem ætatem pertinere; cùm Summatibusq̄, Infimatibus, Viris, Fœminis, Senibus, Pueris, egrotare contingat: cùm omnes ex hoc Sanitatem indiscriminatim petant, meritoq̄ dici potest, Medicum communem terrarum esse Magistrum; & profectò, si vera respicimus, si cuncta curiosè perpendimus, solâ Medicinâ, soloq̄ Medico opus est omnibus.* Ab aliis nominantur *Naturæ Ministri*, non quod ita simpliciter Sanitatem

A 2

tem

cap. 12. d.
Constit. Art.

tem producere, sed potius Naturæ opem & suppetias ferre soleant. Etenim, Natura & Medicus, juxta Galenum, eorum, quæ corpori humano boni causa sunt, Autores existunt; sunt tamen alia Natura, alia Medicis negata & concessa. Illi quidem impossibile est, ita os confractum, ne ejus partes à nativâ sede aberrant, membrumq; distortum maneat, corrigere & conformare, quod hic non impossibile; pariter luxatum os hic reponere, illa minime potis est; contra, cavum ulcus carne replere illa præstat, hic minime &c. Nonnulli dixerunt Medicum Naturæ adjutorem, Spectatorem & Imitatorem: Adjutorem quidem, quatenus impeditæ vel debilitatæ opem fert, mancaq; & inchoata opera perficit: Spectatorem, quando naturam rectè & sufficienter operantem adspicit, neq; in actione impedit, id quod potissimum in Crisi perfectâ contingit: Imitatorem, quando vel in tuendâ sanitate, vel in debellandis morbis eandem rectè agere observat, imitatur, & consilio suo omnia ita dirigit, ut unicam sanitatem pro scopo agendorum, sibi proponat. Interdum (uti jam ex Galeno audivimus) Naturam etiam Medicus superat, præsertim in operationibus Chirurgicis, v. g. ossium luxatorum repositione, labiorum leporinorum adductione, Cancris eadem occupantis extirpatione, Polyporum extractione, distortorum crurum, uti in Varis & Valgis διορθώσεις, Uteri prolapsi restitutione &c. Sentiant itaq; quicquid velint, qui supra vulgus non sapiunt, & Artium nobilissimam, quam ipsi ignorant, nescio quo odio prosequuntur, & despectui habent; minime tamen apud cordatiores ejus veneratio exolebit, quin potius pro Dea Servatrice, vel rectius pro dono divino coletur. Verum, quantum utilior eadem Reipublicæ est, tantò quoq; est difficilior, atq; ob Subjecti, quod tractat, nempe Corpus humanum, quatenus Sanitati vel Morbis obnoxium, Nobilitatem, non proletaria vel superficialis, sed accuratior

ior cognitio requiritur: quam in rem verisimè Hippocra-lib. de Arte.
s; Medicum, inquit, qui suffecerit ad cognoscendum, sufficere
etiam ad sanandum. Proinde Capivaccius, insignis olim Pro-
fessor Patavinus, cuidam studioso Polono, expetenti ipsius
Arcana, haut inscitè respondit: *Lege meam Methodum & ha-*
ebis mea Arcana: innuere volens, cui Morbi Essentia cum
causis cognita, cui Medendi ratio, & simplicium, alio-
umque Medicamentorum facultas nota, ei haut opus
compositorum nominum Arcanis: his enim cognitis Mor-
bi (si modò non per se incurabiles, impossibilia enim non
sunt Artis) levi manu, paucisque præfidiis expugnari pos-
sunt. Hinc egregiè Clariss. Hoffmannus infert, quod in Navi lib. 1. J. M.
navus est, id in arte Medicâ est cognitio, & quo quis melius cogno- c. 7.
vit, eò feliciter curat, tantum enim erramus in curatione, quantum
erravimus in cognitione. Habemus hîc consentientem
Cornelium Celsum, dum ita scribit: *Is rectè curaturus est, quem*
prima origo causæ non fallit. Licet autem hæc omnia ita se-
habeant, non tamen semper est in Medici potestate, ut
ger relevetur; id quod fit, vel ob morbi contumaciam,
causæque ignorantiam, vel causæ cognitæ impossibilem
motionem, aut ab aliis concausis difficilem discretio-
nem, vel ægrotantis contumaciam, & summam naturæ
rostrationem. Eleganter ergò Augustinus: *quantum in*
medico est, debet sanare agrotum, ipse verò se interimit, qui præ-
cepta Medici observare non vult. Propterea nec culpandus,
multò minus puniendus est Medicus, modò ritè partibus
suis defungatur, hoc est, præstet ea, quæ debuit secundum
Artis possibilitatem: in hoc enim communem omnium
Artificum sortem experimur, quos nemo sanæ mentis re-
prehendit, si quandoque ob certa impedimenta, finem
internum minimè assequuntur; sufficit, quod internum,
si est de Artificis potestate, semper obtineat, alias titulo

lib. 1. Topic. artificis frustra superbit. *Nec enim, uti habet Aristoteles, is Orator est, qui persuadet, sed qui omnia pro re natâ affert, quæ ad persuadendum apta sunt: pariter Medicus est, non qui omnia sanat, sed qui conquirat anxie omnia, quæ ad recuperandam sanitatem facere possunt: & hoc sensu Plato etiam artem Medicam cum Rhetoricâ comparat, in quantum scilicet finem internum, qui de ipsius potestate est, adipiscitur. Antea laudatus Hoffmannus comparat etiam cum Politica, arte nauticâ scientiâ bellicâ, Mercatoriâ, Venatoriâ, Agriculturâ; sic enim pergit: fortasse desideras scire, quæ sint artes Rhetoricæ & Medicinæ similes? Politica imprimis, nequæ enim Politicus ille est, qui Rempublicam servat, sed qui omnia præstat, quæ ad conservationem ipsius faciunt: nec is Nauclerus est, qui Navem feliciter ad portum perducit, verum qui facit, quæ ex arte debet, ut si per ipsum stet, omninò navis salva appellat &c. Ergò, si Medicus quocumque omnia fecit, ut sanaret, (sunt verba Senecæ) partes suas jam peregit; & juxta Averrhoëm, Medicina est ars, in quâ queritur conservatio Sanitatis corporis humani, & remotio ægritudinis, secundum quod possibile fuerit, in quolibet corpore; quia finis artis istius non est ad sanandum omnia, sed ad faciendum illud, quod fieri potest: Quicumque igitur Valetudinem suam Medico concredunt erudito & experto, seu vivant, seu moriantur, gloriosè virunt caduntque. Sunt quidem, quod meritò dolendum, plurimi, qui divinâ hâc arte abutuntur, dum illam exercere non verentur, quam tamen Ipsi nunquam ex fundamento didicerunt, quibus etiam à multis statim creditur, quamvis sit periculum in nullo mendacio majus: de talibus Helmontius ita conqueritur: In nullo majorem Licentiam, temeritates ampliores, crudelitates crudeliores, tenebras densiores, ac confusiones frequentiores offendi, quàm in munere nobilissimo, in quo cuiuslibet liberum est occidere, si homicidium subsidiis pallio sit involutum & occisus terrâ tegatur. Quæ tamen de illis minime*

lib. 7. benef.

lib. 1. Coll. 1.

*Tumulo Pe-
ris p. m. 831.*

minimè dici possunt aut debent, qui secundum artis præscriptum Ægrotantium curam instituunt; h. e. qui speciem Morbi, partem affectam, causam affectus, & vires seu statum ægri benè considerant, indeqve indicationes desumunt, & secundum eas convenientia adhibent remedia in superqve in pharmacorum usu & legitimam quantitatem & decentem utendi modum, ut & opportunã exhibendi tempus diligenter observant: hujusmodi ergò medici pro verè eruditis & peritis sunt habendi, quorum etiam curæ quilibet tutò corpus suum in morbos proclive, aut jam prolapsum concredere potest.

Horum consortio adscribere non veriti sumus, Virum Juvenem Excellentem atqve Clarissimum,

DN. JOHANNEM DANIELEM
SCHMOLLERN,

Salzungâ Thuringum, Medic. Baccal. & Physicum Schmöllensem.

Qui, postquam per aliquot annos in hâc præsertim nostrâ Philurêâ, studio Medico indefessè operam navavit, dum non solùm inter privatos parietes ex autoribus selectioribus principia & fundamenta necessaria acquisivit, sed etiam Lectiones Professorum publicas, nec non Collegia privata sedulò visitavit, solidam rerum Medicarum notitiam sibi comparavit; quam Nobis non solùm in Examinibus, quibus sese subicere non erubuit, sed & Lectione publicâ solenniter hunc in finem habitâ sufficientem comprobarit, ulteriusqve in Disputatione inaugurali de Palpitatione Cordis, cras, Deo volente, publicè in loco consuetò habendâ, omnibus præsentibus probabit. Ut itaqve eruditionis suæ Testimonium, Laborumqve præmium assequatur, Gratiôsa Facultas medica dignum Ipsum judicavit, cui LICENTIA
sum-

summos in arte Medicâ assumendi honores, quos Doctores
vocamus, tribueretur. Finitâ itaqve Disputatione publicâ,
in eodem actu à me, cui à Reverendissimo ac Celsissi-
mo Principe ac Domino, Domino CHRISTIA-
NO, Duce Saxoniae, Juliae, Cliviae ac Montium,
Postulato Administratore Episcopatus Martisbur-
genfis, Landgravio Thuringiae, Marchione Misniae
& utriusqve Lusatiae, Comite in Marca & Ravens-
berg, Dynastae in Ravenstein &c. CANCELLA-
RIO hujus Academiae perpetuo, Domino
meo Clementissimo, munus PRO-CANCELLA-
RII clementissimè ad hanc promotionem demandatum
est, Licentiae Medicæ gradu, honore ac dignitate solemni-
ter ornabitur. Quam Panegyrim, ut Magnus Academiae
Rector, Per-Illustris Comes à Tauben/ Utriusq; Reipublicae
Patres conscripti, & quicumque Arti nostrae favent, aut
eidem se consecrarunt, honorificâ suâ praesentia condeco-
rare, adeoque splendidior, commendatiorqve redde-
re non dedignentur, officiosè rogamus: ad reciprocum
gratificandi atqve inserviendi studium promptissimè nos
obligantes. P. P. Lipsiae Festo Ascensionis Domin.
A. O. R. M. DC. LXXX.

LITERIS CHRISTIANI MICHAELIS.